



DEO CLEMENTER LARGIENTE!

ELIXIR PRO-  
PRIETATIS,

*publicè delibandum*

propinat

D. CHRISTIANUS LANGE,

Facultat. Med. Senior, Pathol.

Prof. P. Maj. Princip. Colleg. Collegiatus,  
& Acad. Decemvir,

RESPONDENTE

GEORGIO CRETZSCHMAR,

Treia-Varisco, Alumno Electorali,

H. L. Q. C.

*ad d. 27. Septemb.*

ANNI CHRISTIANI

clō Ibc LX.

---

LIPSIÆ,

Literis JOHAN-ERICI HAHNII.











# VENI LUMEN CORDIUM!

§. 1.



Aluti Commodoq; publico, cui nos quoq; recordamur natos, operas nostras ulterius partiri, & impigram mentem cumulandis *Alma Chymiatricæ* ornamentis exercere dum intendimus, hâc vice ex *finu artis Medicamentariæ* consideratu nequaquam pœnitendum nec inutile thema depromere, atq;ve illud *Naturæ* admoto *Lumine* solerter examinando, ut sic loquar, eviscerare allubescit, hâc finî, ut cœcutientibus aperiamus oculos, & Filiis nostris ad Sapientiæ sacrarium ituris rēctitudinem semitæ monstremus, vel ansam dumtaxat ad altiora nobiscum tendendi porrigamus, qvò, vile in artibus esse, qvòd triviale existit, pariliter discant.

§. 2. Non immeritò autem *Medici* omnibus nervis sollicitos se exhibent circa *remediorum* sedulo continuatas *inventiones* & *facturas*, siquidem non tantummodò venerandam *Antiquitatem* hîc habeant fideliter præeuntem, ac *JatroChymicorum* coronam hodieqvè pressò pede laudata *Hujus* vestigia insequentem, verùm ipsis, sima etiam necessitas & conscientia cultus impensè id inculcet, qvum tam ægrotantium vita, qvàm Medicinæ gloria ac Medentis fama in *remediorum dextre paratorum* sinceritate omninò atq;ve certitudine consistat.

§. 3. Atq;ve hoc nobis etiam dictum hæctenùs existimavimus semper, & nulla unqvam oblivio menti nostræ subducat, *medicamenta* esse *Deorum manus*, & proinde studiosè dispensandas, sanctè colendas, ingeniosè tractandas; Neq;ve cessabo probatis remediis tanqvàm militari roborè *Artis* hoc castellum ad honorem *Dei* (*Almi Medicinæ ac Medicorum Conditoris*, qui non tantum peculiari intellectus aurâ eos proinde ex altò irradiat, verùm honorandos etiam *jussit*) & ad ægrotantis proximi salutem solatiumq;ve diu noctuq; meditando & laborando instruere, ne in formidoloso illo die,

A 2

qvò





quò universi mortales in iudicium citabuntur, in rationibus ob supinam hanc vocationis meæ negligentiam perversitatis incusatus à frugitanti œconomis secernar, & in æternum contremiscere cogar.

§. 4. Ut igitur *pharmacorum inventiones* non ex rudi cerebrò, sed ex alvò ingeniosæ mentis ac diuturnæ meditationis prodierunt & adhuc usqve prodeunt; ita non minùs profectò *accurate horum præparaciones*, unà cum indefessò ac circumspèctissimè præstando labore, subtilem indaginem, iudiciiqve singulare acumen, doctam prudentiam, & rerum naturalium haud perfunctoriam notitiam, sed lynceum utiqve & perspicacissimum oculum, validæqve sagacitatis donum expetunt imò exposcunt.

§. 5. Verùm quantos hujus moniti neglectus induxerit, hætenùs errores atqve nunquam satis deploranda damna, per partes jam odiosò eloquiò diducere, & cum rigore quodam ad calculos vocare studiosè superfedemus, sed hoc saltim silentiò non transmittendum existimamus, pessimè illos de Bonò publicò meritos, qui primi hanc *summè arduam arma medica conficiendi disciplinam à Medicinà* avulserunt, & *servis* suis (rerum naturalium planissimè nesciis, & omni literarum auxiliò miserè destitutis) unice commiserunt, merà ignavià & malè svadâ animi elatione, ut tam otio suo, quàm munditiis fortè prolixius indulgere possent, ad id inducti: præsertim quòd opera hæc mechanica & manualis à *Medici* dignitate quàm maximè aliena quibusdam carbones averfantibus videretur: quùm tamen, reputare statim debuissent, hanc ipsam submissionem & humilitatem pro sospitate agrorum susceptam longè minùs dedecere Medicos, quàm urinarum inspectiones, fœtentium sordium nauseabundas explorationes, & spurca consimilia alia: Inter illas enim existit artes *Medicina*, quæ autoribus suis laboriosa semper & molestiarum affatim ferax, utentibus autem proficua contingere solet.

§. 6. Sed quid *Antecessores* isti egregiò hòc suò, si Diis placet, constitutò profecerint effecerintq; , iniquissima *Medicorù* (utut etiam de Republicâ optimè meritorum) hæc seculi infelicitate conditio abundè commonstrat, qui vilissimis etiam fungis ludibrium & contumelias ex orcò ingratitude natas nunc debent. Causa utiqve in apricò est, cur de vertice in humillimos contentus deciderit gratiosum hoc & officiosum medèdi magisterium: Nempè ad plebeiam & ma-



847  
& manifestâ ignorantia sententiâ condemnatam mentem quum se-  
mel hoc devolutum, & structuræ Apollinaris integritas sic distracta  
seu destructa fuerit, factum postea, ut quivis homuncio *Medicina* ve-  
nerabilem scientiam adhuc usq; mentiatur, & temerariam falce[m]  
in salutarem hanc messem mittere non vereatur: Unde sanè fieri  
non potest, quin medicamenta, quorum in agendo magna & fami-  
gerata alioquin est efficacia, ac proinde insignem in præparando di-  
ligentiam requirunt, indoctissimis audacissimisque *Empyricis*, unice  
quæstus sui aucupium attendentibus, communicata prostituuntur,  
& manifesto corruptionis adulterio temerata autoritatem suam,  
quam *Veteres Medici*, suis potissimum remedia componentes mani-  
bus, sollicitissimâ curâ sartam tectam servabant, amittant, imò per-  
niciosa potius evadant. Bonos honestosque attamen Viros expref-  
sè hinc exemptos discipulo, qui nempe sub benevolentia, inspectio-  
ne ac directione *Medicorum*, potiora præsertim, pharmaca fideliter  
disponunt atque componunt, eorumque admonitionibus haud super-  
ciliosè succensendo, & avaritiæ crimen livoremque omnem ac invi-  
diam abominando, obsequiosos se præstant, insuperque *Patronis suis*  
vigorem & incrementum *Pharmaceutices* tribuunt, horumque merita  
gratò perpetim animò agnoscunt, nec non omni propterea amoris  
& reverentiæ cultu eos sincerè prosequuntur. Hos, inquam, recipro-  
cò benignitatis affectu & favore dignos utique pronuncio, quibus et-  
iam meò locò ex totâ mente benè cupio, & cum iis contentus eâ  
conditione, ut antè dixi, omninò sum, ut pro cognitione ac conside-  
ratione causarum usum dumtaxat exercitatum habeant. Sed eâ de  
re fusius hinc agendi locum haud esse in mentem mihi protinus venit.

§. 7. Luculentam justæ hujus querelæ confirmationem, ex-  
emplò suo in sensus propemodum omnes incurrente, vel solum  
ELIXIR PROPRIETATIS nunc subministrare poterit, cujus  
confectio ut hodiè pervulgata & proculcata planè deprehenditur, i-  
ta abusus quoque ac depravatio ejusdem ferme ineffabilis existit, ut  
propterea avitam majestatem, quâ olim magnificum hoc medica-  
men sub præfidiò sui *Inventoris* fulgebat, omnimodè perdiderit, ac  
projectâ vilius algâ, ponderisque nullius vulgari cocturâ paratum à  
*Nobilioris Chymia assertoribus* habeatur.

§. 8. Magni hujus remedii existimationem ergò ut salvare, ac  
pristino



pristino id æstimo restituere nunc queamus; ignobilis usus & circa tritam præparandi rationem enormis hallucinatio candidè jam à nobis ostendetur; veluti morbi indole rectè cognitâ demum appropriata medela in promptu esse solet. Primitus tamen ipsum hoc medicamentum ita membratim arbitrabitur, ut tam *ingredientium* natura, quàm *verus conficiendi modus* ex sublimiore Chymiâ depromendus, aut qui hõc deficiente commodius substitui possit, unâ cum reliquis circumstantiis hûc spectitantibus, illucescere, ac Bonæ insimul mentis Alumnis Naturæ arcana profundius olim scrutandi manu-ductio sic ministrari possit: Cum primis tamen, ut exinde manifestum reddatur, quàm illud, quod vulgò ubivis venale est, & rudi constructû manu prostat, *Elixir Proprietatis*, sit plerumq; prostibulum potius & *chaos impuritatis*, quàm ut illustri hõc nomine salutari mereatur.

§. 9. Age dispiciamus, atq; ut scopum hunc nostrum eò facilius feliciusq; consequi possimus, titulum *denominandi* confestim eruamus. De nominibus ex Platone alioquin latissimè notum est, quod sint tanquam essentiarum vehicula, & quædam excogitatæ rei declarationes: Idem etiam pollicemur nosmet nunc impetraturos, si voces istas ad *spagyricum* album dirigamus, & ad *Sophiatria* tribunal super iis parumper arbitremur: Certè tantam his verbis proprietatem & tam præclaram emphasin inesse deprehendemus, ut cum hõc ipso Medicamine hæ notiones quasi natæ videantur, adeò *remedium ipsum* & *id parandi typum* protinùs sub aspectum subjicient, & reconditum, valdeq; excelsum exhibebunt significatum. Primitus igitur ponderabimus, quid *Elixir* sit, & quos natales habeat: deinde cognomen *Proprietatis* sub examen ducemus & compediosè statim hoc negotium expediemus, ita tamen ut abusui juxtâ nuncius mittatur.

§. 10. Vox *Elixir* vulgò vexatissima & triobolaris est, dum ex *culinâ* ejus petitur nativitas, atq; ab *elixando* seu coqvendo quibusdam deducitur, ita ut quodvis Bamma & Zomidion hõc quasi modo significare videatur: Unde etiam in officinis usitatissimè accipitur pro *liquore spiritoso*, mediante nudâ *infusione* imprægnato, qui rectius tamen *mixtura seu extractum liquidum vel aqua etiam composita* (cui adjectionem *pretiosæ* tandem non invidemus, quatenùs ea carius plerumq; constat & ingredientium pluralitatem requirit, non verò ob facultatis præcellentiam, quùm totâ die *Medici* expectationem frustrari



strari soleat) vocitaretur, quàm ut *regalis hic titulus* tam perperam sic  
 prostitueretur, quod tamen quàm pessimè fiat, faxo ut in oculos ple-  
 nò confestim passu incurrat. Valent nimirum *verba & notiones* hîc  
 quoq; ut *nunni*, vel quod in præsentî magis quadrabit, sicut *amictus*:  
 Ut namq; *exempli igitur*, quondam illustres saltim comas aurò cri-  
 spata texta adornabant, sic cultu nunc eodem vilis ancillæ, quæ latri-  
 nam lavat, verticem collucere videas. Vel, ut blandiori compa-  
 ratione errorè hunc circumscribamus, eadem propemodû ratione  
 se habet hic fallendi modus & abusus, ut ille, qui inter amicos est fa-  
 miliaris, qui exiguum obsonium vel paucillum pomorum missuri,  
 vase argenteo inclusum candido & bellè exarato linteo obvolvunt,  
 ubi sanè nec plus, quod mittitur, nec melius, sed accipienti tantum  
 gratius, & honestius fieri solet mittenti. Sic *levidensia medicamina*  
 pulcro grandisoni tituli velamine honestantur, & sæpè plus in titulo,  
 quàm in pyxide. Sed ulterius applicandi studium sit penes *Lectorem*,  
 cui clariùs id cognoscendi media in subsequentiubus ubertim suppe-  
 ditabuntur.

§. II. Altiùs igitur hîc adscendendum, ut *nominis* tam excel-  
 lens dignitas manifesta evadere queat. *Elixir* nempè est *origine suâ*  
*Arabicum*, quod nomen postea in usum Latini sermonis venit, ut velut  
 usucapione *Latinum* etiam nunc existimetur. Juxta *Arabum* idioma  
*Elekschir*, vel *Elikshir* dicitur, hoc est, essentia, seu essentiæ vis arte  
 elicitæ: Notat quoq; idem hoc vocabulum *pulverem Philosophicum*,  
 à radice *Kaschara*, contudit, comminuit, pellem aut corticem detraxit, de-  
 squamavit piscem, excoriavit, deglubuit; &c. Quæ Philologia ut certa est,  
 ita tam ventosus haud sum, ut *Orientalium Linguarum* notitiam, quam  
 ut i genuè fatear, non habeo (neq; omnia possumus omnes) proti-  
 nùs mihi arrogem, sed ad fidem & edecumatam eruditionem jam  
 laudatarum LL. *Professoris Publici Excell. Jo. Adam Scherzeri* Collegæ  
 mei animitus colendi provoco, ex cujus sincerâ communicatione  
 hæc adscribere voluimus, ut appositissimum & elegantem seu pro-  
 posito nostro affatim velificantem exinde sensum exsculpere va-  
 leamus.

§. 12. Allubescit omninò ex fonte *Arabico* veræ significationis  
 succum nunc haurire atq; ita eundem degustare, ut *Elixirii propriè ac*  
*genuinè sic dicti* Majestas hinc protinùs vel spontaneâ facilitate pro-  
 manare,





manare, & cuius palam evadere queat, nobilissimam ac planè philosophicam parandi methodum insimulq; nobilissimum menstruum Heroicam hanc Medicinam de postulare. Queris jam Lector, quid sit Arabibus & omnibus adeptis potissimum Philosophis ELIXIR? Promptos hinc officiosq; nos statim habebis, sed boni tamen consules, si flosculos elegantissimos atq; ex amicis Hermeticorum viretis desumptos tantum, spargendo gratificandi alacritatem & rem difficilissimam nunc explicare tentemus. Elixir igitur est Medicamen incomparabile, conservandæ vitæ & pellendis morbis dicatum. Est Elixir medicina undiq; perfecta, generosissima, & exaltata, habens virtutes ante omnes Medicinas, atq; indicans homogeneam, purissimam & subtilissimam substantiam. Omne Elixir sapienter memento operari; est enim, donum & mysterium conservationis ac longævitatatis, estq; Victor & Hercules omnis corruptionis putredinisq;. Elixir ad altiora remedia ac arcana seu αἰδηλα & ἀπὸρρητα pertinet, quæ sub tutelâ silentii sedulo recondi, à vulgari notitiâ removeri, nec cunctis conspicienda dari, adeoq; velut in sinu posita esse debent. De Elixiris virtute & fama est magnalia atq; miracula præstare, & omnis specifici potentiam excedere: Est magisterium vel astrum potius penetrantissimum, (seu penitissimè intrans,) essentia viva, & spiritum vitæ suâ luce effectissimè illuminans atq; conservans. Elixir est ac dicitur, quod in thronum universalis medicinæ surgit, & unò restaurantis vitæ cõpendiõ, nec non gloriosõ tam puritatis quàm subtilitatis encomiõ omnem morborum tyrannidem ex æquò ac heroicò robore supplantat. Imò Elixiris voculam Veteres Philosophos ita usurpasse legimus, ut sub eadem semper de principio, radice, seu semine ac natura metallorum primævâ radium aliquem, quò mirè illustrari omne remedium solet, comprehendere & subaudire consueverint; unde etiam benedictum illum lapidem seu ipsum Magisterium sumum, cœlesti splendore condecoratum, appellitari Elixir Arabicum, undiq; & ubiq; in eorum scriptis spectitamus, quod ipsum postea nobis commodiusculam ex abstrusioris Chymia meditullio aureola quædam de promendi ac mutuò accipiendi occasionem porriget.

§. 13. Clariùs id cognoscendi votò ut jam potiri queamus, ad Arabicam Philologiam revertimur, atq; eandem nostro protinùs scopo accommodamus. Percepimus autem Elixir ibi designare  
essen-



851

*essentiam* artificiosè elicitam, quò nomine quid propriè indigitandum veniat, anxie disceptarunt & adhuc usq; controvertuntur *scho-*  
*la.* Sed *sapientioribus* plerisq; concessum jam est, elementum vocari non posse, quod *elementorum est principium*, licet in elementariis loculamentis natum comprehensumq; : Cum itaq; aliquid cernerent illi, quod nullò pacto elementorum naturam saperet, nec ex crasi eorundem ortum esset, imò ipsa potius regeret elementa, & cælo seu astris proportionem, tam Autore quam effectis divinum, responderet, id *quintam & vitalis potentia essentiam*, aut rerum Archeum, naturam ac vitam corpoream sensibilemq; nuncupare amârunt, velut *Petrus Poterius & Pet. Jo. Faber* doctissimè id declarârunt, nec non ex *Institutionibus Physiologicis Meritisimi Præceptoris B. Sennerti*, ubi de *calidi innati* agit naturâ, hoc patet. Virtutem ergò elementis nobiliorem dari in confesso est, quam pariter corpus elementis nobilius & subjectum inhætionis consimili nobilitate coruscans exposcere, ecquis est, qui vel sponte hoc non conjicere possit. Obiter hinc quoq; *abstrusioris istius doctrinae* prægustum petere liceret, unde *Luminis perpetuò fulgore flagrantis & Lampadum non interruptâ flammâ lucentium* immortalis gloria, quam *Veræ Philosophiæ Præsules* tantum efficere nörunt, scaturiginem suam ac permanentem dispositionem nanciscatur, nisi Rei incomparabilis magnitudo virium nostrarum notoriam exilitatem infinitis parasangis excederet, nisiq; , quid *nectar illud materiae Sophorum primæ sine pari excellentissimum*, quidvé *essentia illa nunquam non vitalis, astrum Mercuriale, liquor igneus, ignisq; liquidissimus ac Ros cælestis* omnia radicaliter dissolvens, & animam ex centrò suò eruens, ante oculos nostros tam profundè illatebratus esset, & hâc in parte ignorantiam nostram in propatulò haberemus: sicuti Bono Viro turpe omninò est, proferre quod nesciat.

§. 14. Sed quomodo *Veram Essentiam seu Elixir faciundi*, & ex quovis mixtò illud eliciendi ratio nunc iniri debeat, hoc opus, hic labor. Quùm verò animadvertamus, *laudatæ essentia*, an reverà detur, locum fidemq; forsân non concedi, nisi quodammodo explanetur certisq; argumentis stabiliatur, ideoq; etiam id muneris suscipere non recusabimus. Utut autem grande negotium nos absterrere, & trepidantem levemq; hunc calamum vix admittere videatur, attamen, quoad possumus, omnem mentis nostræ valentiam (ultra hanc

B

enim



852  
enim non obligabimur amplius) id expediendi officio consecrabi-  
mus. Rursus igitur *Benivolum Lectorem* ad *Vocis Arabicæ cunas* manu-  
ducimus, ubi ex sententiâ statim *modum parandi quintas essentias* plenô  
fini se pandere concernemus, modò non *verborum* cortices exter-  
namq; superficiem ac sonum, sed viscera eorundem ac centalem,  
*ut sic loquar*, sensum attendere, atq; *Hermeticâ* lance diligentius libra-  
re nobis sit cordi. Ita enim perspicere, vel (quod nostrum est) ari-  
olari poterimus, quid *Philosopho* sit *contundere & comminuerè*, quid ipsi  
sit *corticem, pellemq; detrahè*, *piscem suum desquamare* vel *exoffare*, suum-  
qvè *Draconem excoriare, & deglubere* *Bufonem* seu *serpentina* sequere  
*strare exuvias &c.* Hac utiq; adhibitâ accuratationis industriâ vel ma-  
nu palpare poterimus, *Quintam Essentiam* nil aliud esse, quàm materi-  
am corporalem ex omnibus, quibus *vita & calidum humidumq;* ra-  
dicale inest, à cunctis impuritatibus diligentissimè separatam, atq;  
à corruptibilitatibus subtilissimè purgatam, in quâ demum omnis  
rerum potentia est & *Medicina*; sic omninò quod antea erat invisibi-  
le, evidenter conspicuum, & quod occultum, evadere manifestum  
solet. Sic *Philosophus* ultimum *Alchymix* scopum finemq; attinge-  
re, & *Medicus* remedia ad summum puritatis claritatisq; fastigium,  
perducta in omnem morbi sævitiam potentissima impetrare va-  
lebit.

§. 15. Amplissimum profectò philosophandi campum hîc se  
nobis aperire fatemur quidem, quem tamen ex votò ingredi indigni-  
tas nostra desubitò vetat: Tu ergò nobiscum eris contentus, si oras  
sanctioris agri superficietenus legere saltim ac speculari nunc fate-  
gerimus. *Elixir pulverem quoq; philosophicum* seu philosophica ratio-  
ne paratum designare virtute *radicis suæ, contusionem seu comminutionem*  
innuentis, supra nos *Lexicon Arabicum* docuit, quod interpretandi stu-  
dium primò observandum nobis præbet, de *naturâ & constitutione E-*  
*lixirij* vel *essentiæ* ac *magisterii* non esse, ut semper sit fluidum, sed ad  
siccitatem etiam redigi, atq; in *pulveris* formam, vel potius *crystalli*  
& *rubini* consistentiam asciscere haud difficili negotiò posse; veluti  
*essentia* quævis ritè ac philosophicè facta promptè vel solvi, vel coagu-  
lari ac concrefcere, atq; sic vice versâ, solet: Unde etiam *Aqua sicca*  
vel *siccitas aquæ & pulvis spiritualis* receptissimâ solemnitate audit.  
Deinde hoc ipsò etiam, dum *Elixir pulverem philosophicum* denotare  
intel-



853

intelligimus, gemina nobis exhibetur significantia, quatenus nimirum ex una parte sub hac notione *Philosophorum lapis & Terra illa aetherea*, seu gloriosa, cujus documenta *Philosophi* curioso commodabunt, comprehenditur; ex altera vero mixtum aliquod in pulverem ac tenuem, pollinem convertendi labos sic commendari nobis videtur, qui tamen utpote vilissimus ac nullius plane momenti pretii; quid ad vera essentia seu *Elixiris* structuram conducere possit, aut quomodo ad *Philosophorum* sanctuarium pertineat, quum *Doctrina Chymica* consecratis scandalo seu offendiculo esse, atque sic confusionem parere queat, nostrum nunc erit ex *Spagyricorum* scriptis demonstrare, longe nobiliorem sensum sub hoc sipario delitescere, quam ut primo statim intuitu eum capessere liceat. Faciamus igitur periculum.

§. 16. Tanti nempe aestimaverunt Labores suos *Spagyrici*, ut ad occultandos eos, ne improbis indignisque temere darentur obvii, atque sic vilescerent, partim tropicis obscurisque loquendi modis usi, partim sub proletario sapientius sermone absconditissimas *Venerabilis Scientiae* partes & animi sensa secretissima complexi fuerint, quam ipsam arcana sua celandi prudentiam postmodum plurimos, *Hermeticorum dicta* non secundum *Natura* possibilitatem ac vires sed brutum, dumtaxat litterae scriptae sensum intelligentes decepisse in aprico est. Ut ergo Tu capere, & nos edisserere non nihil (nam completam solidamque circa tanta haec mysteria instructionem ne ab infantia ac impotentia nostra expectes, obnixè rogo) valeamus, quid per *pulverisationem* seu *contusionem* illam ac *comminutionem* innuere videantur, haec habeto. *Calx* videlicet generali significatu est *pulvis* quilibet in partes impalpabiles exactè comminutus, ac tenuissima cujuscunque rei pars, quam & *Alcool* nuncupare consueverunt *Chymici*. *Alcool* illud rursus duplici accipitur modo, ita ut in *liquidis* denotet *spiritum* rectificatissimum & toties iteratà cohobatione ad exquisitè subtilitatis horizontem perductum; in *siccis* vero *pulverem* studiosissime contritum & *Magisterium* tale significet, quod ipsam farinae etiam delicatissimam mollitiem superat.

§. 17. Appellarunt itaque *Antistites* illi *Calcinationem* suam, quae totius *Spagyricae Artis* thesaurus & genuina existit clavis, *pulverisationem*, *triturationem* seu *Alcoolisationem*, quod vera rerum attenuatio & ad summam aetheriamque subtilitatem reductio non nisi per *calcinationem*,



nem, non vulgarem illam, sed à Nobiliore Chymia excogitatam ac par-  
tam præstari queat: Hujus enim beneficiò, crassæ, terrenæ & sæcu-  
lentæ quisquiliæ à tenuissimis, hoc est, igneis aëreisq; seu spirituosis  
partibus, heterogeneum ab homogencò, ignobile à nobili, impu-  
rum à purò, inutile ab utili, venenum à theriacâ, mors à vitâ, cortex  
à nucleò & astralis virtutis centrò, densissimæ tenebræ à Lucis splen-  
dore, atræq; Nubes à Solis fulgore separantur, adeoq; totius  
Naturæ claustra sic effectissimè reserantur.

§. 18. Planum explicitumq; sic esse nobis persuademus, haud  
incassum unâ radice, quam Elixir agnoscit, tam *contusionem seu comminu-  
tionem*, quàm *desquamationem seu excoarationem*. hoc est, accuratam *purifi-  
cationem* commodiusculè exprimi, quum hæ operationes, veluti jam  
percepimus, unicū *mundificandi*, seu ad summa *perfectæ puritatis* judicia  
perducendi laborem, hoc est, *philosophicam calcinationem* compren-  
dant: quemadmodum *Philosophis* notoriè consuetum est diversis no-  
minibus & plurali numerò *rem unam* indigitare atq; ad unum colli-  
mare scopum. Absolvitur ergò hæc *alcoholisatio & purificandi* studium  
non trititando, nec terendo, aut trita per incerniculum transigendo,  
sed *Sophorum calcinatio* (quæ *putrefactionem seu corruptionem, fermentatio-  
nem, digestionem, circulationem ac solutionem*, sed non nisi Philosophicè  
institutas, sunt enim operationes istæ reverà inseparabiles, & ada-  
mantino vinculo nexæ, omnimodè includit, adeoq; *communem* illam,  
quæ deturpat potius & rerum vigorem suffuratur, excludit) & *ignis*  
tam *internus* quàm *externus*, tam *naturalis*, quàm *artificialis* est legiti-  
mum ad expediendam *Alcoholisationem* illam incerniculum, & *furnus*  
*Philosophicus* est verum illud præstandæ *contusionis mortarium*; unde eti-  
am quum tantam *in re Chymicâ* laudatæ & sapienter intellectæ *Calci-  
nationis* necessitatem (aliâ enim ratione nihil ad cœlum desideratæ  
*puritatis ac perfectionis* adscendere, nec *purum generari* potest, nisi con-  
tundatur & calcinetur, hoc est, *corrumpatur impurum*) animadverten-  
rent *disciplina secretioris Mystæ*, tergemina repetitione, TERE. TERE.  
TERE. conclamârunt.

§. 19. Nî fallor ELIXIRIS vocem (quæ si nostræ humili-  
tatis vires id ferrent, ad *magnorum arcanorum sidera* cupiditatem ri-  
mandi traducere posset) sic enucleavimus satis, ut quilibet, quid di-  
stent æra lupinis, hinc advortere valeat. Sed carpamus viam ulte-  
rius



857  
rius & inquiramus jam, quid *adjunctio* PROPRIETATIS hinc sibi velit. Cognitum ex *etymologicis* est, *proprium* id dici, quod maxime est prope. Ergo *Elixir proprietatis* talem hinc denotabit medicinam, cujus virtus quam proximè accedit Naturæ nostræ seu balsamo nostro nativo, illiq; amica valdoperè, appropriata, accommodata & convenientissima existit: vel potius quod *proprio* suo succo, humidoq; radicali, *id est*, ex se, in se & per se (quæ consuetudinis solemnitas Philosophis sacra est) hoc *Elixir* confici debeat. *Certum & proprium* non rarò apud *Autores* idem exprimere observamus. Tu hinc statim subsume, auxiliandi & conservandi certitudinem *Elixir proprietatis*, sed philosophicè & juxta *Paracelsi* solertiam paratum, tanquam indubitatae & salutaris præstantiæ medicamen polliceri. *Proprium* porrò significare nonnunquam legimus id, quod *peculiare & speciale* est: Quò ipsò à communitate separatur, hoc est, non tantum *Elixir proprietatis* à consortio & turbâ vulgarium divulgatorumq; medicamentorum sic eximitur, verum etiam singularem in præparando gnavitatem & minimè perfunctorium laborem exposcere videtur. *Proprium* præterea etiam idem est ac *stabile, perpetuum, vel sempiternum*. Egregiè hoc itidem nostro favere scopo poterit. Nempè *Elixir proprietatis*, sed ritè præparatum, ad vitam prolongandam & corporis valorem (putredinem ejus procul arcendo) in eodem stabiliq; vigore conservandum suas oppidò partes contribuit. *Proprium* nunquam avellitur ab essentia: Igitur concludimus ad essentialia & humanæ proprietati acceptissima, puta, nobilissima & magnam auctoritatem obtinentia remedia genuinum *Elixir proprietatis* pertinere. Verum hunc sic ratiocinandi affectum partim *Autor & Inventor* hujus medicinæ, partim *præparationis excellentia*, quam requirit, partim nunquam satis de prædicandæ *virtutes* ac merita, quibus resplendet, *in subsequentiis* confirmabunt atq; ex votò tuebuntur.

§. 20. Insigne hoc Medicamentum magnum etiam ac cæteris cunctis majorem habere *parentem Inventoremq;* (ut fortes creantur fortibus) nobiscum nemo inficias ibit, modò *Chymia* aut *Sophiatria* gratiosam famam in deliciis habeat, & candidus Ingeniorum fautor existat. Nominamus hinc ergò *Theophrastum Paracelsum*, quem ut verum *Natura mundi*q; (Artifex enim quò magis ad *Naturam* accedit, eò præstantior etiam habetur) interpretem fuisse credimus, ita non im-



meritò *secretioris quoque* Philosophiæ Principem & Arcanorum Monarcham eum appellitant, atque ad id faustò fidere natum pronunciant Philosophi, ut altiores medicaminum præparaciones & remedia ad unitatis symbolum adscendentia seu ad primam suam materiam reducta, adeoque veram artem, quam DEUS in Naturâ occultavit, Bono publico proponeret; Veluti etiam in rei veritate *ex scriptis ejusdem* liquet, multâ penè divinitus in re Medicâ ac Hermeticâ Paracelsum docuisse, ut nunquam satis admirari & decantare raræ hoc eruditionis exemplum *grata posteritas* possit. Sed Te offendere *Autoris stylum* persentiscimus, dum Medicinam *Ejus* ænigmatum plenam & multis impeditam difficultatibus deprehendis, ut quid velit & dicat, intellectu tuò nullatenus consequi valeas. Ast memento, sine difficultate nullam esse subtilitatem, nec sine spinis rosarum eminentissimam suavitatem. Crescat animus tuus ipsâ difficultate, ac cogites assiduam vincere cuncta diligentiam. Rerum attamen naturalium notitiâ præparatum animum afferas, & totum Paracelsum decies rotiesque legendi ac relegendi constantiam habeas, nec minùs Paracelsum per Paracelsum declarandi sollicitudinem adhibeas, pariterque reputes, *Autores* legere & nihil exin seligere ac colligere, esse penitus negligere. Quàm potenter autem ac præsentissimè ferocissima etiam morborum monstra edomare valuerit Paracelsus Chymiatrorum suæ ætatis celsissimus, & quænam alia præconiorum honestamenta ipsi debeantur, fusiùs recensere acquiescimus, imò idem super *Tantò Virò*, & in hóc genere ad miraculum usque præcellenti nunc usurpandum nobis videtur, quod de *Carthagine* Conditor historix *Jugurthine* prodidit: Melius esse, de illò tacere, quàm parùm dicere.

§. 21. *Inventori* jam succedat ipsum *inventum*, quod ex *Archidox. lib. 8.* de verbò ad verbum húc transferre, & postea ad examen seu qualem qualem trutinam nostram revocare, proscripitis ambagibus plact. *Modum* autem parandi *maternò idiomate* sic expressit Magnus Paracelsus: R̄. Myrrha, Aloëpatici, Croci ana L. Bierling (fortassis quadrantem libræ) laß in Pellicano mit Arena adscendiren auff das miltest (quâ lenissimo igne) zween Monat/darnach separir per Alembicum das oleum von fecibus sine adustione herüber/das oleum digerir mit Circulato ein Monat in gletchem Gewicht/darnach behalts: In dem ist alle Zugendt der natürlichen Balsamen / und ist in ihm virtus conserva-



857  
servativa in senibus &c. Et paulò antè hæc notatu dignissima verba præmittit, quæ nisi attendantur accuratissimè, nunquam res illa acu, quod dicitur, tangi, nec mens *Autoris* capi poterit: die *Natur* / *inquit ille*, hat ein Elixir geböhren / das von Rebus naturalibus als aus Myrrhâ, Saffran uñ Aloëpatico Citrino (Verborum seu Contextus translocationem pro meliori sensu admittas) mag in seinem eigenen Wesen ein vollkommen Elixir gemacht werden. Aus was Krafft aber ihnen ein solches kömmt / sagen wir de eorum Generatione, und lassen vor dieses mal seinen Anfang aus / den wir zuvor zum öfftern gemeldet haben.

§. 22. Pauca sunt, quæ hîc vides, sed multa & ineffabilia comprehendunt, laboremque difficilimum, quia *philosophicum*, insinuant. Parvâ equidem mole, sed mirum quantum magna pondere atque gravissima existunt, quæ hîc transposita conspicias. Sed quid nos sentiamus de *Paracelsi* hîc ratiociniò, quò *Elixir suum proprietatis* circumscribit, pro virili portione, utut difficilimos habeat explicatûs, expromere nitentur. Statim igitur edicimus impossibile penitus esse, ut quispiam hanc ex istò *parciloquio* præparandi methodum assequi & in usum ducere queat, nisi *totum Paracelsum* & omnia *eius volumina* assiduâ lectione is tractaverit, nisi que in *sublimioris Pyrotechniæ* laboribus quàm optimè versatus instructusque fuerit. Ecquis enim hinc capere calleat, quomodo *sine additione ullius menstrui*, ex resinosis ac siccis speciebus, per *meram circulationem* (hanc enim organum pelicani ac Vitri illius chymici huic operationi à *Sophis* destinati evidenter innuit) adscendere beneficiò propriæ & innatæ sibi essentia *liquidum aliquid* ita sufficiens possit, ut *adustionis* crimen omnino avertatur? Ecquis *oleum sine empyreumate* juxta præscriptum tenorem per alembicum elicere audeat? Ecquis divinare poterit, quid per *Circulatum suum*, quidve per *Originem* illam sibi cupiat *intimus hic Natura consiliarius*? O quanta obstacula, ô quanti labyrinthi! Ubi aures arrigere illos desideramus, qui *Elixir proprietatis Paracelsi* ad officinalia, hoc est, vulgaria referunt, & qui paratu (ore potius quàm re.) nil facilius hîc medicamine autumant. Ast hæc omnia ut luce meridiana evadant clariora, quàm hodiè rara avis in terris nigroque similima cygno sit *Paracelsicum hoc Elixir seu balsamus proprietatis*, balbutire dumtaxat conabimur, quàm ardua momenta & quantam scientiæ majestatem hoc negotium requirat.

§. 23. Ob-



§. 23. Obscura est omninò *Autoris* connexio, quando innu-  
it, *specierum dictarum triam* debere cum *arenâ* per bimestre spatium  
adscendere & sublimari; & proinde anceps evadit significantia, an  
dictas *species*, cum *arenâ* tanquam *additamentò*, (*Zusat*) ut promptior  
elevatio sic contingat, miscendas velit, an verò *ignem arena* intelligat:  
sicuti *ignis gradus* sic à *Philosophis* discerni legimus, ut alium vocent,  
*ignem sterquilini seu vaporis, alium balnei, cinerum, flammæ, & sic porro*. Sed  
ut sine morâ nos expediamus, illos sinceritatem interpretandi sup-  
peditare existimamus, qui ad *miniculum ignis & officinam Vulcani*  
hic significari ( siquidem & hoc medicamentum sit *Filius ignis* ) fortas-  
sis asseverabunt, utpote sine quò in lucem & ad spectum mixti alicu-  
jus *essentia* produci non potest.

§. 24. Dixisse nos antea ad memoriam revocamus, *putre-  
factionem seu corruptionem, digestionem ac solutionem* easdem & indivul-  
sas operandi rationes apud *Philosophos* designare, quod ipsum  
assertum ne *Tibi* absonum & à sonò rationis alienum ( diversæ enim  
primò comparent intuitu ) videatur, nunc expendere atque expo-  
nere pergimus. *Putrefactio seu corruptio* præcedunt, quæ sine *fermen-  
tatione*, uti notissimum, nequaquam succedere possunt: *Hujus* verò  
indolem & naturam *digestio ac circulatio*, quas tanquam *putrefactionis*  
appendices æstimant, plenius pandunt, easque postea immediatè  
*mixti istius putrefacti, corrupti, fermentati, digesti seu circulati* in suâ prin-  
cipia *solutio* consequitur: adeò ut *solvi* queat nihil, nisi *digeratur ac cir-  
culetur* prius, nec quicquam *digeri ac circulari* possit, nisi præcedat *pu-  
trescens seu corruptiva fermentatio*. Quæ tamen præparaciones sin-  
gulæ cum unò labore unicòq; vase perficiantur, sic contestante *Philosopho-  
rum* chorò, sub unâ etiam ac necessariò *complicatâ operatione* compre-  
henduntur, nec *distinctionem hujus essentialem* constituunt.

§. 25. De singulis pauca adspargemus, ut quâ ratione ex pu-  
mice etiam aquam, hoc est, ex *myrrhâ, aloë & crocò per se, & sine peregrini  
liqvoris additione*, beneficiò *Philosophici* hujus laboris succo, qui solutio-  
nem præstare, ac non destillationem tantum postea instituendam,  
facilitare, sed & *adustionis* injuriam arcere debet, extorqveri aut elici  
possit, mente nostrâ, si non ex asse, tamen quodammodo concipere  
sufficiamus. In antecessum tamen velut insuffuramus *Tibi* gemi-  
num *ignem* ut *suprà* jam monuimus, hic attendendum, ac sciendum,

*ignem*



85.  
ignem externum juvare tantummodò internum & ad agendum proritare, internum verò palmam in omni labore sibi vindicare: veluti hoc ipsum omnibus etiam perspectum est Medicis, qui frustra auxiliorum suorum ignem seu igneam & artificialem virtutem se adhibere con-  
queruntur, nisi cooperantem juxtim inveniunt Naturam seu calorem ac phæbum vel Archæum corporis internum, cui humidum radiale thalamum jucundissimum præbet.

§. 26. Stat sententia, Corruptionem esse alterius generationem; ergò nec præstabile remedium confici poterit, nisi mixtum corruptatur prius ac putrescat: Unde ad regionum egregiorumqve medicaminum præparaciones Philosophorum oracula, quæ summo suo aliquin sacrârunt Mystero, appositissimè quadrabunt. Totam fortitudinem Hermetici magisterii (& per consequens cujusvis Heroici reme-  
dii) non esse, nisi per putredinem, adeoqve in sterquiliniò quærendum, quod poscunt Sapientes, inquit & svadet Morienus. Si putridum & mortuum non fuerit mixtum, ut idem Morienus & Bernardus ajunt, solvi etiam ac vitæ fructus ferre seu exaltari ac meliorari non poterit. Alterativa autem putrefactionis ingens præstantia non cuius innotescit, & maximi omninò est ingenii profundæqve inquisitionis, utpote quæ valdè occulto nititur fundamento, ut formas abscondere, naturam absolvere, proportionem custodire, ac imperfecti-  
onem seu vitium radicitus corrigere, hoc est, impuritatem, quæ vitæ semper sunt inimicæ, mortem ac interuccionem præstare possit, quò vitæ germen & puritatis micans flagrantia hinc exurgere valeat. Hæc ergò est via ad præstantissimas illas veræ Chymicæ operationes, quæ veterem rerum ac corruptibilem naturam consumit, & novam coelestemqve penitus introducit.

§. 27. Consimili speculatione genium fermentationis, digestionis, circulationis ac solutionis, quarum catenatio seu concatenata necessitudo (suâ namq; sponte ultrò citroq; se invicem consequuntur ac complectuntur) Philosophis ad amissim est perspecta, haud difficulter cognoscere licebit, modò putrefactionis potentiam & naturam assiduò rimari non desistamus; neutra enim sine alterâ persistere ac fieri potest. proptereaq; unam ex iis qui nôrit, omnes reliqvas facilimè noverit. Nihilominus ex Philosophorum melissò sententias quasdam omni melle svaviores annectimus, ut appetitum scripta eorum avidius imposte-  
rum



860.  
rum scrutandi Tibi pariter ac nobis conciliare aut acuerere sic queamus.

§. 28. *Fermenti nobilitas* graphicè hinc indè depingitur ab Helmontiò, qui in eodem originale rerum initium & primævas, vel ut is ipse loqui amat, seminarias causas *transmutationis* consistere, luculentis probat monstratq; argumentis. *Fermentum* est, inquit, quod *impuritates* omnes ac *feces* consumit, adeoq; ex fundamentò *depurationem* præstat. *Fermenti* notitiâ utilius nihil esse, & modò propinquissimò vitæ horizontem illud attingere, seu specificum naturæ vitalis donum spiraculumq; existere, ex eodem addiscimus. Fermentatio, pergit, igne potentiùs, hoc est, cum majori virtutis robore subinde operatur, & quùm *fermentum* ex insitò sibi ac *geniali spiritu* scaturiginem obtineat, patet etiam, quod necessariò quoq; de *proprietate spiritus vitalis balsamicæ* hoc ipsum sit, & propterea non minùs rectè quàm benè *magnus hic efficacie vigor* ei competat. Plura *fermentationis præconia*, qui expetit, is adeat *Thomæ Willis*, doctissimi Angliæ Medici, *Medico-philosophicam, eamq; ab arte limatissimam de hóc themate Diatriben*, in quâ perlegendâ animus singulari quadam voluptate delinitus, ut in amœnò diversoriò, conquiescere ac se recreare poterit.

§. 29. Circa *digestionem ac circulationem*, quâ partes in minima & velut atomos rediguntur, nil prætereà novi apportare licebit, quùm prælaudatæ virtutes consimili penitus ratione utriq; competant: Imò illam ipsam *circulationem*, in quâ humidum insitum alijus mixti perpetuâ reciprocatone sursum deorsumq; movetur & ex eodem *spirituosa astralisq; essentia* elicitur, nil aliud esse, quàm *fermentationem*, exemplò *sanguinis in Exercitatione nostrâ de Morbillis* nuper dilucidè satis ostendimus. Imò ex pleniore *solutionis* cognitione, plus lucis Tibi promittimus, de quâ hæc adscribere placet. *Solutionem Philosophi* in genere nuncupant naturarum mutationem, quando id, quod *inferius* ac corporale, per svavem sublimationem (quæ eleganter *sublimis solutio* dicitur) *superius ascendit*, ac in spiritum mutatur, & quod *superius* ac spirituosum est, *inferius rursus descendit*, & ad *Medicine* usum adducitur. Qui *dissolutionis* hanc artem ac secretum novit, is ad summa mysteria perveniendi aditum, & *naturas ex naturis* extrahendi scientiam habet. *Solutionis* autem *naturalis* sapientiam hinc poscunt *ejus Proceres*, non verò illius usum, qui vulgò notus est; unde *vulgarem* quoq; *solutionem* istam inferunt esse potius *dissipativam, ac corrosi-*



56.

rosivam destructionem seu compositi inemendabilem deturpationem. Sed hanc demum solutionem naturalem ac veram perhibent, quæ permanentiam simul solventis ac soluti ostendit, ut ex utroq; tam masculinò quàm fœmininò semine seu spiritu & aquâ nova species resultare queat. Hæc est illa operatio, quæ corpora in liquorem (hoc est, in primam suam materiam, quæ reverà nil aliud est, quàm liquor, seu liquida mucilago, quæ tam miraculosè postea modò in carneam & osseam, modò ligneam, modò saxeam ac durissimam planè substantiam in generationis progressu transmutatur: sic verbi gratiâ totus homo & tanta ejus compages ex tantillò aquæ seu seminis momentò ac sic porro producitur; O magna sapientissimi Jehovæ, ô miracula Naturæ imperferutabilia!) solvit, & ita eorum vincula perfringit, ut solida & siccissima fiant liquida, effoeta ac semimortua evadant rediviva, atq;ve occulta cum insigni clarore se manifestent.

§. 30. Sed desiderabis jam, ut, quamnam dispositionem requirat (hanc calcinationem Philosophicam vocant) putrefactio, & quænam tam altè sepulta ejusdem sit basis, pariter adjiciamus: Multa enim nobis corpora oppones, quæ sicciora sunt & parum humoris habentia, adeoq; ad concipiendam putredinem, quippe quæ in calidò humidò fieri debet, evidenter inepta. Respondent Artis Patres, materiam terendam & humore proportionali conspergendam, postmodumq; in suò vase ad putrescendum locandam. Verùm ubi humorem hujuscemodi proportionalem, & qui hujus vel illius mixti naturæ conveniat undiq;, ac proportionem similitudinis exhibeat, inveniemus? quis Neptunus eum nobis commodabit? Altum hic undiq; silentium. Atq; hæc ipsa dispositio & putrefaciendæ materiæ preparatio acutus ille scopuli murex est, ad què tot conatuum navigia alliserunt, perierunt: Hæc est illa causa, unde tot laborum adulteria & partus spurii, tot imposturæ & deliria prodierunt, quæ à Sophistis & omni Fide indignissimis Empyricis seu Chymicis (rectiùs Latrones dixeris & marsupiorum famosa emunctoria) adhuc usq; committuntur. Quâ igitur prudentiâ, urges, celebranda hæc materiæ est dispositio, ut salutare illæ putrefactionis ac per consequens digestionis solutionisq; operationes à Doctrinæ Filiò accuratissimâ industriâ excoli, debitoq;ve & ipsi Naturæ conformi modò perfici possint.

§. 31. Ad magnum Naturæ librum sic nos docentibus Philosophis, Te re-



timo & rerum omnium originem indefinenter penitusq; perscrutandã hinc  
 Tibi commendamus. Incidit autem hinc Chymicum istud enigma, quod de  
 spiritu per destillationem tanquam genitrice suã partò circumfertur:  
 Mater me genuit, & ego matrem, qui matre ipsã tamen antiquior. Hunc  
 autem arte matrem Filium seu spiritum mundi vel universi, veram illam &  
 unicam aëris laudem gloriamq; nisi seriò hinc attendamus, & ad fulgidissi-  
 mam Naturæ lucernam nisi examinemus, materiam aliquã veræ putrefa-  
 ctionis, corruptionisq; sepulcro imponere & ad naturalem digestionem ac solutio-  
 nem nullatenus aptam reddere aut disponere poterimus. Rescin-  
 dunt hinc itidem conatum Tibi ex votò gratificandi tanta Rei hujus-  
 dem immensitas, & concurrens nostra insimul, quæ nobis profectò  
 magna est, infirmitas; Ex illis namq; sumus, qui canere inter Phi-  
 losophos nondum Oracula possunt. Boni attamen consules ac de-  
 lectaberis forsitan, si dimidiata hinc tantùm tentaverimus verba. Est in  
 superiori spherâ fontis vena, quæ est Philosophorum regula prima. En ha-  
 bes lavacrum Dianæ; en puteum istum benedictum, ex quò ingenio  
 Natura suò, ejusq; sagax Minister humorem illum proportionalem, cu-  
 jus vitali fermento cuncta consperguntur, nullò non tempore uber-  
 tim haurire queunt. Hinc omninò locatum est illud dolium, quod  
 Natura lixivium nunquam & nunquam deficiens continet. Dicta ipsius  
 Paracelsi in usum nostrum hinc vindicabimus, ut quid spiritus Universi,  
 vel balsamus seu ros iste astrorum nobilissimus, vitæque catholicum  
 & omnes creaturas penitissimè recreans pabulum sit, si non expri-  
 mere, tamen non nihil adumbrare possimus. Astrale nectar, inquit,  
 cognoscere vix licet, nisi astrorum essentia, natura & proprietas fir-  
 perspectissima: Tunc demum postea exsugere & extrahere  
 Ens hoc benedictum & astrale poteris. Cœli vires influentes & astra-  
 les radii sunt, qui unice fermentationis ac digestionis desideratissimam  
 dotem instillant. Astra sunt, quæ semen & virtutem digestivam velut  
 in uterò, quem Aër præbet, gerunt, ac infundunt; sine quã nihil in  
 hoc terrarum orbe dispositionem generativam & incrementum capere va-  
 let. Et hoc est Mystrium illud magnum à primò creatò dependens ac  
 propemodum imperscrutabile: sub hoc ipsò ἀντιπερισσός radix  
 recondita est, & tam caliditatis quàm frigiditatis primordia exinde  
 promanant. Hoc Mystrium qui intelligit, quid sal Naturæ omnia ve-  
 getans, vivificans & conservans, quid ignis humectans & corpora lavans,  
 quidvé



863.

quidvé *avicula Hermetis* altivola, & omnes aëris tractus remigiò sub-  
tilitatis suæ pervolans mixtaqvè cuncta penetrans, quam tamen  
non nisi peritissimus Artifex *aucupio suo magneticò*prehendere ac con-  
dere poterit, mente suâ etiam concipere non difficulter valebit. Si  
itaqvè ad promovendam rerum *putrefactionem ac solutionem*, ut fru-  
ctum perfectionis & absolutæ *puritatis* hinc nancisci queat, hoc vel il-  
lud mixtum quis *disponere* velit, ille, qui manuuctionis nostræ ru-  
dimenta hæc respuit, ad *laboratorium Naturæ* se conferat, atqvè ean-  
dem in omnibus operibus, anteqvam ad *μικροσκοπία* *Vulcani*  
se accingat, imitari nobiscum prius perdiscat, non dubitans in ve-  
râ & *Naturæ conformi excellentium medicaminum præparatione* se cum tri-  
pudiò ac triumphò sic operaturum. Si *Jupiter* tuis laboribus patro-  
cinabitur, habebis utiqvè *juvantem Patrem*, qui manu suâ fulmen,  
vel potius *gelidum illud astrorum fulgur* tenet, & sub dominiò suò *A-*  
*quilam seu spiritum mundi* dirigit. Sed in magnis fuisse, aut hæsitasse  
potius, fat esto. Ut tamen de alienò liberales esse pergamus, &  
plenior instructionem in hæc *de æthereis viribus* sublimi doctri-  
nâ insuper promittere queamus, Tibi, *benivole Lector*, venustissimum  
& planè *aureolum de Viticultura erroribus libellum Augusti Hauptmanni*,  
*Chymiatræ rarâ sagacitate augustòq; ingenij acumine & nobiliori peritiâ ne-*  
*mini mortalium, quos novi, secundi, Amici mei in præcordiis dilecti ac con-*  
*junctissimi*, officiosâ manu porrigimus: Crede nobis, quò diutiùs fa-  
luberrima & svavissima ibi lustraveris documenta, eò major Te  
stimulabit esuries & *scripti istius desiderio* vehementiore exardesces:  
imò quoties hoc legeris, toties doctior hinc abibis.

§. 32 His pro modulò ingenii nostri præfloratis, quomo-  
do juxta *Paracelsi præscriptum* ex *Aloë, Myrrhâ ac Croco oleum sine adu-*  
*stionis seu empyreumatis infamiâ à fecibus per distillationem* separa-  
ri ac cohobari debeat, eâ quâ polles mentis calliditate elicere nunc  
tuum erit, ut cum *Circulatò* postmodû *Elixir proprietatis verû & verè phi-*  
*losophicum* hinc perficere valeas. Inspicienda autem, *ut ante monuimus*,  
circa hunc præparandi modum *Paracelsi* verba tam antecedentia,  
quàm consequentia, imò univetsa ejus (*Theologica & Magica*, quibus  
etiam referta sunt huius *Autoris* monumenta, missa omninò facimus,  
quoniam Paracelsò in omnibus adstriuari nunquam cogitavimus,  
sed Medica quæ habet & Chymica, ex centrò Naturæ planè eruta,



g6q.

mentem nostram intimè pascere fatemur) docendi methodus accuratè cognoscenda erit, si felices in hōc labore suscipiendo successus efflagitas. Videbis itaqvè ante processus enarrationem *Auctorem nobilissimum* provocare ad *ORIGINEM* illam, cujus sæpissimè se mentionem fecisse expressis commemorat. Quod verò per *Originem* illam nil aliud, quàm *spiritum mundi seu astrale robur*, ex quò omnia fiunt, & cujus vigore *superius est sicut inferius*, intelligat, tam verum esse arbitror, quàm quod clarissimum. Hinc ergò petas, hinc haurias *humorem illum proportionalem*, ut invisibiliter *aloem, crocum & myrrham tuam* (quas ipsas species prius esurinas probè ac sitibundas facere memineris) humectare, hoc est, ad suscipiendam *putrefactionis, fermentationis ac solutionis naturalis* (violentam à labore hōc philosophicò planissimè relegatam voluimus) promptitudinem disponere possis. Quod si attenderis, pariter ac observatà *temporis diuturnitate*, quam poscīt, impetraveris, fore spero, *resinosam compactamq; aloës & myrrhæ, siccamq; croci substantiam* ita in penetralibus suis per & in se liquefcere, ut *oleaginositas* illa non tantum *spirituosa magis & volatilior* evadat, verum faciliori etiam negotiò absq; *adustionis metu* *destillatio* per alembicum etiam absolvatur, atq; *spirituosum planè ac liquidissimum oleum* sic præbeat. Quæ omnia bono Philosopho aut Chymiatrò præstitū nequaquam difficilia erunt.

§. 33. Cur verò *Paracelsus* *circulationi seu digestioni bimestri*, quam *lenissimò* *attamen igne* (auf das milteste) celebrandam esse (istud *pelicani vitrum* tutius tunc *Balneo Mariae vel cineribus sale suò orbatis*, nostrò quidem animò, committeretur) rectissimè docet, sæpius nominatam *specierum trigam* subjiciendam moneat, antequam destilletur, quivis, cui emunctæ sunt nares, ex *prædictis* facilimè subodorari poterit. Melius quoq; tunc faciunt illi, qui *majorem* quodammodo *specierum quantitatem*, velut *Autor* id etiam hīc innuit, in *putrefactione rerum sicciorum* accipiunt, siquidem sic promptiori modò *fermentationem seu effervescentiam* coagmentatæ in sinu suò concipient, & *uberius magnetismi* valore pollebunt. *Leves circumstantias* alias, quæ ad manuale feliciter operandi negotium pertinent, silentiò hīc transmittemus, siquidem *philosophica & sublimiora hæc* illotis manibus, & nisi jam *fundamentis spagyricis* prout sit instructus, nemo sanioris iudicii tanget vel aggredi audebit.

§. 34. Spi-



86.  
§. 34. Spirituoso huic, suavissimo & penetrantissimo, omnique adustionis vitio carenti, ex Croco, Aloë & Myrrha, per se & sine ullâ peregrini menstrui additione, impetrato oleo Circulatum, ut vocat, in quantitate aquali addendum, & menstruæ digestionis concredendum s'vadet, ut hinc balsamica & verè regia ab omni putredine ac corruptione præservandi virtus parari queat. Licet autem hîc iterum nobis sufflamen iniicere videatur minùs usitata admiscendi liquoris seu Circulati notio, quæ non paucos etiam elusit, attamen si à microcosmò, ubi vitalis sanguis ac spiritus non ineptè circulatæ purpure notâ insigniri potest, ad macrocosmum ratiocinari non negligamus, siquè ea hîc ruminare placeat, quæ suprâ de spiritu Universi & Ente astrali edisseruimus, res ista licet impetratu rara ac difficilima, intellectu attamen haud adèò gravis eveniet.

§. 35. Circulati autem majoris ac minoris toties repetitâ commemoratione Paracelsi personare libros horum industrius Lector facile deprehendet, unaquæ singularem liquorem magis vel minùs compositum utroque vocamine indigitari statim concludet. Nos ut prolixitatis culpam effugere queamus, pace attamen Aliorum, asserimus, per Circulati sui nomen Paracelsum innuere Aquam Ponticam, Azot seu acetum acerrimum ac solvens illud Universale vel sine pari, cui Philosophorum Corona tot imposuit nomina, quot laudibus, quot virtutibus, effectibusque, quot coloribus ac circumstantiis aliis, Lympham benedictam & hanc Sapientiæ Nympham seu Lac Virginis excultum & nobilitatum illi animadvertunt. Circulatum autem cum adjectione magnum appellitare Paracelsum credimus, quando Essentia hæc Mercurialis Philosophorum semine suo masculinò imprægnata, atque majoris virtutis augmentò locupletata seu duplicata est; unde etiam, Sophorum tubâ sic elangente, heroicâ gloriâ honoratur, & fortitudinis fortitudo fortissima unanimes consensu salutatur. Minus verò, ut nos quidem putamus, audit, quando spiritus Mercurii Philosophicus simplex adhuc est, & feminini spermatis provinciam saltim sustinet, licet spiritus vini rectificatissimus etiam, diuturnâ circulatione ad perfectissimæ puritatis culmen perductus, vel quovis spiritus mineralis, dum ex retortâ in receptaculum transmissi spiritus ibi tamdiu circumgyrantur, donec colliquescant, sub hæc phrasi non absone intelligi queat, ita ut Circulatum magnum metallicæ spheræ nectar & omnium metallorum semen toties jam laudatum, sive sit  
sim-



*simplex sive compositum* significet. Ast hujus rei liberum penes quemlibet esto iudicium: Utrique enim sententiæ probandi favent argumenta. Sed cur *Circulatum magnum* nuncupetur, Tu quæris? O nimis multum ab imbecillitate nostrâ exigis! Hoc tamen reputandum Tibi relinquimus, ne planè ἀσύμβολοι in hoc quoque inveniamur. quæsitō: Omnia ex unâ re, nempe *spiritu mundi*, cui à sanctissimō Creatore illud FIAT ingenitum est, fieri, & ab eodem conservari, superius levi penicillō delineavimus. Ergò conclude *regnum etiam minerale ac metallicum*, in quō Sapientes suum *Mercurium* quærunť, hoc ipsō spiritu, cui incrementa sua debent, abundè instructum: Hunc ergò *juxta leges suas* elicere, & ex aëre, quō tanquam vehiculo *spiritus Universi* utitur, aquam facere jubent *Philosophi*, quorum iussa si & nos decenter capessere poterimus, undam omnī aurō ac thesaurō habebimus pretiosorem.

§. 36. Ut ad nominandī rationem quoque perveniamus, *Rotam Philosophicam* Tibi offerimus, quæ ponderandum Tibimet statim proponet, *spiritum hunc mundi secundissimum* per totam cœli terræque machinam seu globum *assiduâ circulatione* sursum, deorsum, longè, latè & profundè moveri ac *circumrotari*, *circulatimque* perpetuò descendere seu influere, nec minùs ascendere rursum atque effluere, ut *Collegium totius Naturæ* sic affatim nemo non cognoscere queat, modò plus ultra tendere pergat, nec difficultatum obstacula se abstertere patiatur. Ex quonam *subjectō* autem *succus hic Lunariæ* potissimùm petendus sit, iterum sciscitaris. Quære qui respondeat, & *Magistrale* hoc solvat problema: Nos verò tacere ignorantia nostra, quam puram putam hîc prætendimus, postulat; Catasta enim *Solis & Lunæ*, densissimis ac plusquam Cimmeriis tenebris obsita, nobis etiam dubiō sine non secus incognita est, ac alia, quæ *Philosophorum* hoc adornare Cœlum miramur. Clariùs tamen si arcana hæc conspiceré gestis, *Magnus Sendivogius Novum Lumen suum* (scriptum profectò ab ipsâ Minervâ natum) suppeditando Tibi faveat, nec non ejusdem *Filius*, itidem *illuminati ingenii Philosophus*, *Lucernam Salis*, *Sudam Philosophicum*, & alia *Clarissimæ indolis suæ monumenta* cedrò digna exhibendo, cui adjungimus *Mysterii Naturæ occultæ Autorem*, non dissimili *tantæ scientiæ famâ nobilem*, pro nunquam satis æstimandō candore suō satis faciat: Meretur etiam hîc suas laudes *Hauptmanni MEI, Sophiætr.*

EX-



867.  
Excellentissimi præstabilis solertia in seinē Bergbedenckē über die Haupt-  
mangel des Bergwercks / &c. opusculo certè elegantissimo, & ad Naturæ nu-  
tum accuratè conscripto, qui suā hīc pariliter *symbolā* egregiè adji-  
ciet.

§. 37. Præsupponimus igitur Tibi subesse *oleum* ex hoc *speci-*  
*erum* sodalitio *Philosophicâ peritiâ* factum: Præsupponimus etiam *Cir-*  
*culati istius seu aceti Philosophorum radicati & catholici* copiam à Bene-  
dictione atq̃ve Misericordiâ DEI, cui meritò tantum refertur bene-  
ficium, Tibimet concessam; Quibus sic stantibus nullum nos dubium  
occupat, quin sciveris quoq̃, cur *oleo & circulato* anaticâ dote copula-  
to *menstrui concubitus* sententia sit dicenda. Tribus. Amoris hōc vinculo  
arctius juncta & unita *majorem efficaciam saporemq̃ gratum* oppidò ac-  
quirunt, ut *Elixir seu nectar proprietatis*, & magnæ in omnes morbos  
autoritatis, *verè philosophicum planeq̃ atherium* ac suavissimum sic effici  
possit. Hujus *Medicamenti* possessione quicumq̃ve exhilaratus fuerit,  
is accuratâ custodiâ asservare id recordetur, ne in auras & patriam  
suam, unde principia ejus fuerunt oriunda, abeat adeoq̃ve evanes-  
cat. *Dosis* in aquâ *quadam generosâ seu magnanimitatis*, ut sic loquar,  
*pauculis guttulis* ab unâ ad 4. vel 5, expediri potest: De *virtutis* autem  
*excellentiâ*, quâ eminet hoc Elixir, mox *in fine* dicetur.

§. 38. Quum verò *philosophicâ hâc Benedictione* paucissimi co-  
ronentur, & inter tot mortalium millia vix uni vel alteri desideratam  
istam adire *Corinthum* liceat, insuperq̃ *Paracelsi successores* pleriq̃ve,  
tam *menstruum innominatum*, quàm *modum consiciendi tenebricosè tradi-*  
*tum*, suò se ingenio scrutinioq̃ve consequi posse, desperarent, ex ad-  
versò autem tam *virtuosi medicaminis* copiam possidendi, ob *balsami-*  
*cam ingredientium efficaciam*, summò desiderio æstuarent, aliam po-  
tius *componendi rationem & Paracelsi præscripto* non adeò disparem  
excogitare, quàm *scripta Autoris* tam caliginosa incassum evolvendo  
irreparabilem ætatem conterere constituerunt. Conspirare igi-  
tur in eò nunc videmus omnes, qui circa *Elixir proprietatis* progressu  
temporis sua inventa ac singularem industriam memoriæ prodi-  
derunt, ex quibus præter *CL. Osyv. Crollium* Viros in hâc Arte gratio-  
sè meritos ac celebratissimos *Jo. Schröderum*, *Affinem meum cum reve-*  
*rentiâ observandum*, *Jo. Agricolam & Zvyölserum*, *Fautores meos singulares ho-*  
*norificè nomino*, medicamentum hoc beneficiò sollicitæ *infusionis atq̃*  
*extractionis, sed & cohobationis* esse construendum.

§. 39. *Modus*, quem recensent, (cui nostras statim *animadversun-*  
*culas* adjicere lubet, quas *parentheses* indicabunt) talis circiter est:  
*Rx. trium specierum*, ut nosti, *probè pulverisatarum*, (quibus nos ad con-  
ciliandam *saporis suavitatem* vel tantillum de *caryophyll. aromat.* non-

D

nun-



nunquam addere consuevimus) *aquali in pondere*, quantum placet, quibus tantum spiritus Vini (sed veri & alcoholisati; nam ille ex frumētō ab aniculis factus nobis anathema est, circa cuius neglectum totā attamen die in multis officinis delinquitur: ubi ineptitudo eorum quoque culpanda, qui locō spiritus Vini nudum vinum malvaticum accipiunt, & hinc Elix. Prop. cuius una dosis aliquot cochlearia admittit, efficiunt) affundatur, quantum non ad levem sed debitam madesationem sufficere queat: postea addatur spiritus seu olei (sic namque promiscue dictus spiritus ratione ponderis sui, quod cum oleo habet commune, nominatur,) sulphuris per campanam (vel, si calles, meliori modo) facti, quantum latitudo trium transversim positorum digitorum supereminetia requirit. Committatur hoc infusum digestionem per octiduum; (imò præstaret amplius temporis spatium digestionem concedere, siquidem & ipsum menstruum quō nomine liquor affundendus aut solvens quodlibet insigniri solet, menstruum spatium vel tacitō postulatu ad minimū sibi exposcere videatur) Spiritus tinctus decantetur, novusque spiritus vini denuō affundatur, (juxta Helmontium namque nobile medicamentum nullum dici meretur, nisi quod cum spiritu Vini optimō arctiori nexu sit nuptum, ut ad penitiores vasorum viscerumque recessus energia illius se insinuare, & contagium putredinis abstergere possit) iterumque digeratur, donec spiritus colorem saturatē rubicantem & plusquam sanguineum acquirat, & hoc ipsum toties totiesque, infundendo declinandoque iterandum, quoties voto nostro responderit hinc impetrata affusi spiritus rubedinis Tinctura. Ultimus spiritus minus tinctus unā cum fecibus seu magmate (non quidem cum argillā vel bolō, sed potius cū capite quodam mortuō simplici & quam exquisitissime calcinatō, quod menstruo suo confine est; nam illa ipsa jactura, quam Dn. D. Zvvölserus ominatur, alioquin expectanda, quoniam virtus destillati, si terræ salinam, fixamque animam non habenti commisceretur, quod ab extractō residuū, sic infringetur omninō) destillationi, includendo omnia retortæ firmæ seu fictili (in igne aperto, ut spiritus minerales destillari solent) concedatur, & per gradus, quod benè notandum, accuratē sic cohobetur: accuratē, inquam ego, quod Artifici satis.

§. 40. Sed empyreuma & adustionem opponis? Hanc primō evitare poteris, si artifex sis, hoc est, si observaveris gradus, tunc enim empyreuma seu nigredo destillati non timēda: Deinde si empyreuma fortē redoluerit, perito & experimentalis physicā probe instructo Chymiatro facilius nihil, quam viribus ingredientium nullatenus destructis hanc emendare mendam, atque ad delicatam reducere fragrantiam: quam εγχειρητικῶν & olea cohobandi facilitatem non injuria (ingratitude namque



namque timeo famam) peplo silentii involvo. Hæc ipsa per *coho-*  
*bationem* impetrata *laudatarum specierum* *ivavis essentia* in ultimò *recti-*  
*ficationis* actu cum prioribus extractionibus *per infusionem & decantati-*  
*onem* acquisitis, nec non optimè defecatis, si in *vas recipiens* hæc prius  
infundantur, ita uniri & subsequente ulteriori *circulatione* fortificari  
poterit, ut post *Paracelsi Elixirium proprietatis* (cujus, ob defectum *co-*  
*gnitæ Originis & Circulati*, minimè compotes se esse, unà nobiscum, jure  
contristantur *omnes nobilioris Chymie cupidi*) non contemnendum,  
sed magni roboris remedium sistere sic valeamus.

§. 41. *Nostram* jam desideras hoc *Elixir proprietatis* præparandi ra-  
tionem? Præmitto jam præmissa, & dico, *spiritus sulphuris loco oleum salis Sola-*  
*re Hauptmannianum ac meum* (quod saturatissimâ *flavédine* suâ æquat imò su-  
perat ipsam *aurum*, ac nemo alioquin præter nos conficere sapit, ubi hoc notatu  
dignum, quod sine omni alieni auxilii, præter *Vulcanum utrumq;*, congressu, ex  
*tribus s. g. libris salis gemmæ vel marini &c.* plusquam duas cum dimidiâ *libras*  
*valentissimi olei* impetrare, *Deo sint laudes, valeamus*) substituere, & factâ decen-  
ter *laudati olei* prius cum *spiritu Vini rectificatissimo* vel etiam *acetô Vini* probè  
*destillatô & radicatô* (prout svadet intentio) *circulatione* (quæ non unam vel  
alteram septimanam, neq; etiam *vulgatos ritus* requirit, sed moras & improbum  
laborem poscit) extractam (an *junctim*, an *seorsim* fiat, & quæ sunt *alia circum-*  
*stantie*, meum est dicere, vel filere) ex *his speciebus* animam tam diu *iteratæ cõ-*  
*mittimus alcoholisationi* (quid cū *capite mortuô*, ut vocatur seu *resnanètia* tente-  
mus *peculiaritaciturnitate* suppressendū est, quod *sub tumbâ nobile lateat diade-*  
*ma*,) donec nacti fuerimus *Elixir proprietatis Balsamicum nostrum*. *Balsamicum*  
autem nobis dicitur ob *impensè amicabilem* consensum, què cum *balsamô nostrô*  
in *salinâ svavitate* ac robore consistente habet *oleum hoc nostrum*, quod paucis  
sic indicasse satis erit cunctis, quibus *solum sal putredini venenisq;* resistendi, & ab *im-*  
*puritatibus corpora mundificandi* validam masculamq; obtinere virtutem non  
ignorant.

§. 42. *Alii* nobis etiam *modi Elixiria proprietatis singularia*, conficiendi sub-  
sunt, quorum aliud cum *spiritu nostrô cephalicô*, aliud cum *acidô Mercurii*, vel  
etiam cum *aliis generosis mensuris*, quæ nobis *peculiarioria* sunt, eò, quod neuti-  
qua non triviale est, artificiosè, *præfiscini dixerim*, præparatur. Sed hæc *arcana*  
*Doctrinæ Filiis*, quos DEUS nobis obviam dignos his dabit, suo tempore com-  
muni anda asservamus. *Elixir proptietatis antiscorbuticum*, ceu *inventum*  
*Amplicissimi D. D. Jo. Michaëlis, Facultatis nostræ Decani gravissimi, Collegæ mei*  
*Venerandissimi*, ob insignes virtutes, quibus contra *corruptionem scorbuticam*  
athlèricè valet, honorificâ mentione dignum est. *Consuetum quoq; famia*  
*geratissimo huic Chymiatro esse* novimus, suum *Elixir proprietatis cum Tinct.*  
*Bezoardicâ*, (quæ pariter ipsum ceu *genuinum Parentem* veneratur, atq; non  
immeritò à me, ob mihi toties probatam & omnibus ob *Catholicam*, quâ excel-  
lenter pollet, efficaciam, magni æstimatur) decenter commiscere, atq; præsta-  
bile hinc contra quemcunq; calum efficere *præservativum*. Sed quid de *Elixire*  
*Propr. Albô*, quod *famæ amplitudo hodiè clarat*, habendum, non nisi *albæ Galli-*  
*ne Filii* (hoc summam felicitatem denotans adagium *Philosophis adeptis* proprie  
deberi



deberi, cur obiter sic innam, illi, quibus *Diana* custodiam fortuna commisit, me longè rectius (declarabunt) indicare, hōc est, qui beneficiō *menstrui Universalis* (*corrosivi illius non corrosivi*) uniones, quibus nihil magis post *aurum* (hujus enim virtutes se mē æqvant) est pretiosum, in *lac spermaticum seu elementum lacteum*, ut loquitur *Helmontius* noster, vertere, adeo quē summum analepticum seu refectivum hinc præparare poterit. *Album* ergō vocatur ob albedinis suæ manifestam excellentiam, & *proprietas* gloria ipsi attribuitur, quod humidum radicale appropriatō vigore recreet seu effectissimè consoletur.


§. 43. *Vires & virtutes* vel propterea breviter insinuabo, quod jam tam ex *Paracelsō*, quàm aliis decantatissimæ existant. Dumtaxat id conferre, hic placet, quod *Paracelsō* ansam hoc remedii genus excogitandi fortassis præbuerit. Discendi causā is multum terris jactatus & altō est, præsertim verò apud *Egyptos & Arabes tam Philosophos quàm Medicos* propterea per aliquot annos, etiam captivus, remansit, ubi quum tantam *Mumiarum* multitudinem (quæ nil aliud sunt, quàm *cadaverum corpora, quæ aromatum & unguentorum* pingvedine adeo condiuntur ac condensantur, ut in modum picis induratae resplendant, & sic absq; minimā alicujus membri putrefactione in plurima secula conservari integra possint) concerneret, & narium judiciō *Aloës ac Myrrhæ cum primis multum his unguentis seu balsamis* admixtum colligeret, meditandi ac sic argumentandi ansam accepit; Si *cadavera vermibus destinata, à putrilagine ac corruptione*, per tot centena annorum volumina, tam effectè sarta tecta servari possunt, quantò facilius feliciusq; *adhuc viventibus* tantum hoc conservandi beneficium accommodari, & ad *Medicinæ gloriam* transferri poterit. Et hæc ipsa *Paracelsi* speculatio tam fecunda postmodum fuit, ut egregius ingenii partus & illustris hæc medicina hinc in lucem prodierit, dum purissimā essentiam & spirituale Elixir ex hisce balsamis seu balsamicis speciebus conficere docuit, ut totum corpus & perniciosa ejus latibula cuncta instar fumi perniciousè penetrare, & putredinis malignas radices tam potenter edomare quàm exterminare valeret. Quum itaq; ex astrali stemmate, ut supra monstratum fuit, sæpius laudata *Panacea & Elixir proprietas* hoc Philosophicum fuerit oriundum, ipsi etiam *astrales virtutes*, quibus putredini ac corruptioni heroicè resistit, atq; sic mortales à morborum tyrannide oppidò vindicat, emeritō applausu conceduntur. Tu venerare nobiscum regale hoc pharmacum, sub quō noster vitæ spiritus in suā virtute, aspirante divinā benedictionis gratiā, custoditū velut sub novō vere regerminare, & ablatis sic è corpore corruptelarum aggravantibus impedimentis, virium robur ex sententiā exhilarari potest. Quid verò *vulgari ratione paratum hoc Elixir* præstare valeat, illi edicere poterunt, qui bonā fide experientiam testantur. Quid tandem *Elixir proprietas balsamicum nostrum* valeat, propriō præconiō, quod nobis etiam sordescit, decantare hic nolo: stomachum tamen valdoperè roborandi, & putredinem singulariter arcendi vim obtinet. Hic finis? Esto finis! Imposterum plura & alia officiosi affectus mercimonia, quæ commodis *Philiatrorum* adjuvante Deō consecrare intendo, sequentur, utut etiam sinistra censura obnoxia fuerint. Post naufragium quoq; maria tentari, & post malam segetem nihilominus serendum cogito. Forsan quicquid assiduā infelicis soli sterilitate peribit, unius anni restituere ubertas potest.

COELESTE LUMEN ET NUMEN  
SIT IN SECLA BENEDICTUM.  
F I N I S.











Nr. 19 als Titel nicht zu  
identifizieren!

01 A 6537



f


TA-70L

hier Stück 12 bisher verwendet


~~01A~~











B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

28  
36.

36

MENTER LARGIENTE!

# IR PRO. ETATIS,

*publicè delibandum*

propinat

## TIANUS LANGE, Med. Senior, Pathol.

Princip. Colleg. Collegiatus,  
Acad. Decemvir,

SPONDENTE  
D CRETZSCHMAR,  
risco, Alumno Electorali,  
H. L. Q. C.

*d. d. 27. Septemb.*  
I CHRISTIANI  
clo Ioc LX.

---

LIPSIÆ,  
DHAN-ERICI HAHNII.

